

ANDREAS SAMPERS

TRES EPISTULAE AUTOGRAPHAE PII PP. IX
AD P. VINCENTIUM TRAPANESE CSSR, 1851-1852

Benevolentia Pii PP. IX erga Congregationem SS.mi Redemptoris ac veneratio eius erga fundatorem instituti S. Alfonso satis notae sunt (1). Etiam in his foliis semel iterumque sermo fuit de consuetudine, certe magis reverenti quam familiari, quorundam Congregationis sodalium cum Papa Mastai (2).

Inter Redemptoristas pontifici propius notos eminent superiores generales Caelestinus Berruti (3) et Nicolaus Mauron (4). Minus comperitum est etiam superiorem generalem Vincentium Trapanese (5), qui Congregationem tempore praeter cetera difficili moderatus est, Pio IX notum fuisse eiusque peculiari aestimatione floruisse.

P. Vincentius Trapanese decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 14 aprilis 1849 Neapoli edito, coadiutor datus est superiori

(1) In biographiis S. Alfonsi et in libris historiam CSSR describentibus argumentum illustratur. Vide inter recentiores R. TELLERIA, *S. Alfonso de Ligorio II*, Madrid 1951, 1019 (Index) s.v. *Pio IX*; M. DE MEULEMEESTER, *Histoire sommaire de la Congrégation du T. S. Rédempteur*², Louvain 1958, 207 (Index) s.v. *Pie IX*.

(2) Vide etiam G. MEAULO, *La fuga di Pio IX e mons. Giosué M. Saggese* [CSSR], in *La voce di Pio IX* 12 (1967) n. 77 (luglio-agosto), p. 5-13. In *Spic. hist.* 10 (1962) 444-445 edidimus epistolam Pii IX die 26 IV 1871 ep. Ioanni Swinkels CSSR datam.

(3) P. Caelestinus Berruti (1804-1872), superior generalis CSSR in regno Utriusque Siciliae 1855-1869. Notitia biographica in *Spic. hist.* 2 (1954) 238, n. 10. - Cfr O. GREGORIO, *Il p. Celestino Berruti, generale dei Redentoristi, e la sua amicizia con Pio IX*, in *Pio IX* 1 (1972) 157-163. In hoc studio eduntur tres epistulae autographae archiep.-card. Mastai, scriptae ann. 1841-1843.

(4) P. Nicolaus Mauron (1818-1893), superior generalis CSSR transalpinae 1855-1869, superior generalis CSSR unitae 1869-1893. Notitia biographica in *Spic. hist.* 2 (1954) 260, n. 105. - Vide epistolam p. Mauron Congregationi datam die 9 II 1878 « de insignibus beneficiis ab immortalis pontificis Pio PP. IX in Congregationem nostram collatis »; N. MAURON, *Litterae circulares*, Roma 1896, 240-244.

(5) P. Vincentius Trapanese (1801-1856), vicarius generalis CSSR 1849-1850, superior generalis 1850-1855 (cessat ab exercitio potestatis 1853; cessat a munere pro CSSR in regno Utriusque Siciliae 1854, pro CSSR transalpina 1855). Notitia biographica in *Spic. hist.* 2 (1954) 276, n. 169.

generali Ioanni Camillo Ripoli (6) propter huius infirmam valetudinem, « cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis ad hoc ut non modo in regimine Congregationis Rectorem Majorem coadjuvet juxta necessitates, sed etiam ut ipso, vel ob morbi vim vel alia de causa agere non valente, ejus vices et cum eadem auctoritate in omnibus suppleat » (7).

Regimen suum Trapanese exercere inchoavit, ut ita dicamus, sub oculis Papae, qui tunc Roma exsulatus in Utriusque Siciliae regno comorabatur. Pius IX approbavit operam vicarii generalis ad condicionem Congregationis emendam observantiamque in ea confirmandam et laudem super hac re ei tribuit, cum Romam redientem mense aprili 1850 Redemptoristae oppido Frosinone eum salutatum venerunt (7^a).

P. Franciscus Citarella (8), testis de visu, nobis conservavit in necrologio p. Trapanese, ab ipso post aliquot annos conscripto, praedicationem hac occasione a summo pontifice ei concessam (9):

Nel baciargli quei padri [delle case di Frosinone e di Scifelli] il piede, lor disse il pontefice: « Voi avete un ottimo vicario, ch'è il p. Trapanese. Io gli voglio bene ». Cui i padri risposero: « Tutto è bontà della Santità Sua ». Ed il Papa ripigliò: « Sì, io gli voglio bene, perché se lo merita. Egli è un bravo chirurgo che taglia per sanare e fa molto bene ». Dalle quali parole del pontefice i padri animati dissero: « Beatissimo Padre, noi ce lo auguriamo a superiore generale di tutto l'istituto » (poiché era già morto il rev.mo p. Ripoli [16 II 1850]). Ed il Papa tantosto lor rispose: « Fatevelo, ed io ve lo confermerò ». Al che uno dei padri riprese: « Un suo volere, un suo comando può tutto ». Ed il Papa ripeté: « Sì, sì, fatelo, che io volentieri lo confermerò ».

Propter res adversas capitulum generale ad novum eligendum Congregationis superiorem haberi nequivit et die 20 iunii 1850 auctoritas ro-

(6) P. Ioannes Camillus Ripoli (1780-1850), superior generalis CSSR 1832-1850. Notitia biographica in *Spic. hist.* 2 (1954) 269, n. 142.

(7) Decretum originale in archivio generali CSSR, Romae, [deinceps: AG] XII D 2. Eodem archivi loco conservatur epistula autographa card. Antonii Orioli diei 20 IV 1849, qua decretum p. Ripoli transmisit. Mens Sanctae Sedis erat hoc decreto tradendi p. Trapanese plenam potestatem regiminis CSSR, uti patet epistulis card. Orioli diei 10 VI 1849 ad pp. Ripoli et Trapanese (AG XII D 3-4).

(7^a) Circa iter summi pontificis vide recens studium F. CARAFFA, *Pio IX e un fondo documentario dell'Archivio di Stato di Frosinone*, in *Pio IX* 2 (1973) 103-120; pp. 110-117: 4. Passaggio di Pio IX attraverso la Delegazione di Frosinone nell'aprile 1850.

(8) P. Franciscus Citarella (1813-1861), ann. 1847-1851 erat rector domus CSSR in vico Scifelli, prope Frosinone. Consulationi an. 1850 certe interfuit.

(9) *Cenno necrologico sopra il Rev.mo P. D. Vincenzo Trapanese, Ex-Generale della Cong.ne del SS.mo Red.re*, composto dal R. P. D. Francesco M. Citarella della med. Cong.ne, p. 27-28; AG XIV D 24 bis. Eodem archivi loco etiam copia recentior manuscripti; textus allegatus p. 16. - Necrologium videtur scriptum esse paulo post mortem p. Trapanese, sexto ergo anno post eventum narratum.

mana p. Trapanese ad hoc munus constituit, et quidem nutu ipsius Pii IX, ut verba decreti S. Congregationis Episcoporum et Regularium insinuare videntur. « SS. mus D. N. Pius PP. IX ... hac vice Rectorem Majorem apostolica auctoritate deputandum statuit; ac propterea, probe noscens quo zelo et disciplinae tuendae studio, quaque vigilantia et prudentia vices Rectoris Majoris, dum ille adversae valetudinis causa a regendo instituto impediabatur, exercuerit presbyter ejusdem Congregationis Vincentius Trapanese, eundem ad munus Rectoris Majoris enunciati instituti praesentis decreti tenore constituit atque deputat, perinde ac si a capitulo generali electus fuerit » (10).

Pondere muneris sui obrutus, p. Trapanese mox dimissionem expetivit, sed die 7 octobris 1850 praeceptum ei datum est in officio remanendi. « Sanctissimus D. N. Pius PP. IX ... renunciationem ab officio Rectoris Majoris a presbytero Vincentio Trapanese emissam haud admittere posse existimavit ... Quapropter Sanctitas Sua praefato Vincentio Trapanese praecipit ut in officio Rectoris Majoris ad Sanctitatis Suae et Apostolicae Sedis beneplacitum remaneat » (11).

In archivo nostro generali conservantur tres epistolae Pii IX ad p. Trapanese, quarum transcriptionem operae pretium ducimus, quia manifestant summi pontificis sollicitudinem pro instituto alfonsiano simul ac benevolentiae sensus erga superiorem generalem.

Adiungemus supplicem libellum ad quasdam gratias pro p. Trapanese, postquam ab exercitio potestatis cessaverat, obtinendas a p. Dominico Centore (12) Papae porrectum, ab ipso die 28 aprilis 1854 manu propria subscriptum. Hanc ipsius Pii IX subscriptionem ut signum singularis cuiusdam aestimationis ac honorificentiae interpretari posse existimamus.

(10) AG XII D 13.

(11) AG XIII A 1.

(12) P. Dominicus Centore (1779-1864), procurator generalis CSSR 1850-1854. Notitia biographica in *Spic. hist.* 2 (1954) 241, n. 23.

DOCUMENTA

1. - 1851 IV 2, Roma. Epistula m.p. subscripta Pii PP. IX ad p. Vincen-
tium Trapanese. - Ex originali cons. in AG XIII A 5.

Pius PP. IX

Dilecte Fili, religiose Vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Persuasum utique Nobis est, ea quae redeunte Christi Domini natali die litteris ad Nos datis renuncias vota pro Nostra incolumitate proque felici rerum omnium Nostrarum statu et exitu, ex amore summo erga Nos Sanctamque hanc Sedem pietate et devotione existere. Caritatem in Te Nostram, quam officia haec Tua reddunt ardentiolem, opportuna hac occasione quam libenter Tibi testamur et confirmamus.

Age porro, dilecte Fili, religiose Vir, omnemque vigilantiam et diligentiam disciplinae a Beatissimo Congregationis Tuae Institute traditae retinendae et conservandae praesta, quod Tui esse muneris et virtutis omnino perspicias; nec unquam aut ullis laboribus defatigaris, aut re aliqua Te inde sinas abduci.

Nos quidem nihil impensius cupimus atque ab Deo Optimo Maximo precamur, quam ut omnes Tuae istius Congregationis alumni, repleti scientia ac spiritu magni Parentis Alphonsi de Ligorio, digne ambulent vocatione qua vocati sunt. Tanti hujus boni auspitem et paternae Nostrae in Te caritatis pignus Tibi, dilecte Fili, religiose Vir, Tuaeque ejusdem Congregationis sodalibus apostolicam benedictionem intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 2 Aprilis anni 1851.

Pontificatus Nostri anno V.

Pius PP. IX

2. - 1851 VII 16, Roma. Epistula m.p. subscripta Pii PP. IX ad p. Vincen-
tium Trapanese. - Ex originali cons. in AG XIII A 8.

Pius PP. IX

Dilecte Fili, religiose Vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras Tuas die decima quinta Aprilis proximi datas benigno gratoque animo accepimus, quippe vota renunciant ac preces quas imminentibus Resurrectionis Christi Domini sollemniis majori usque studio pro persona humilitatis Nostrae Salvatori ipsi humani generis obtulisti. Amore idcirco et caritate qua ipsum Te in Domino prosequimur, dilecte Fili, religiose Vir, maxime permoti respondere volui-

mus officio Tuo, ac debitas Tibi pro illo gratias persolvere.

Jam vero, quod litteris secunda ejusdem mensis Aprilis die datis Tibi significavimus, nova hac occasione vigilantiae et sollicitudini Tuae iterum commendamus, ut pro Tuo scilicet munere Tuae istius Congregationis alumnos ad proprii instituti rationem impigre sequendam adducas, tantumque zelo et numquam remissa alacritate contendas, ut ipsi, inspicientes quotidie in magni Parentis Alphonsi exemplum, per ejus vestigia gradientur et Christi bonus odor sint in omni loco. Nec porro difficultates Tuum unquam exterreant animum, imo viam alacriter insistas, qua primum ire coepisti.

Benignissimus Dominus det Tibi in animo constantiam et virtutem, quo tantum boni Congregationi isti, cui praees, valeas afferre Tibique splendidiorem gloriae coronam in sempiterna ac beatissima vita comparare. His votis incensi, apostolicam benedictionem, coelestis auspiciem praesidii et paternae Nostrae in Te caritatis testem, ipsi Tibi, dilecte Fili, religiose Vir, ac sodalibus Tuis universis amanter imperimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 16 Julii anni 1851.
Pontificatus Nostri anno VI.

Pius PP. IX

3. - 1852 I 19, Roma. Epistula m.p. subscripta Pii PP. IX ad p. Vincentium Trapanese. - Ex originali cons. in AG XIII A 11.

Pius PP. IX

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras accepimus filialis Tuae erga Nos et hanc Petri Cathedram devotionis et obsequii plenas, quas redeuntibus natalis Christi solemnibus ad Nos dedisti, ut denunciares vota quae pro Nostra incolumitate et prospero rerum Nostrarum cursu concepisti. Agimus pro officio gratias atque a Tua pietate expectamus, ut numquam intermittas Deo Optimo Maximo ferventiores usque adhibere preces, ut infirmitatem Nostram gravissimo Supremi Pontificatus onere hisce praesertim difficillimis temporibus laborantem omnipotenti sua virtute sustentet, omnesque actus Nostros ad Ecclesiae suae sanctae incrementum dirigat.

Nos vicissim ab ipso clementissimo Domino humiliter precamur, ut in abundantia divinae suae gratiae Tibi semper propitius adesse, ac prospera cuncta et salutaria largiri velit. Cujus superni praesidii auspiciem et paternae Nostrae in Te caritatis testem, apostolicam

benedictionem toto cordis affectu Tibi ipsi, dilecte Fili, amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 19 Januarii anno 1852.
Pontificatus Nostri anno sexto.

Pius PP. IX

4. - 1854 IV 28, Roma. Rescriptum autographum Pii PP. IX pro p. Vincentio Trapanese. - Ex originali cons. in AG XIII A 17.

B.mo Padre

Domenico Centore, Proc. g.le della Congreg. del S.mo Red.re, prostrato a' piedi della S.tà V.ra, umilmente L'espone che il P. Trapanese, trovandosi ormai al termine della carica di Rettore Maggiore, atteso il prossimo capitolo da tenersi in Napoli, ha preciso bisogno di qualche favorevole concessione della S. Sede, capace di tutelare la sua privata quiete che nelle critiche circostanze dell'Istituto potrebbe rimanere compromessa. Infatti la S.tà V.ra non ignora l'ostinata persecuzione sofferta dal medesimo Rettore Maggiore ne' cinque anni del suo governo; Le sono anche ben note le gravi angustie e le tante procelle, dalle quali è stato bersagliato senza tregua con notevole detrimento di sua salute. A prevenire perciò ogni altro possibile trambusto ed avversità, l'Oratore supplica la S.tà V.ra a degnarsi accordare al detto P. Trapanese per grazia specialissima le seguenti facoltà e prerogative:

- 1° - Di godere il titolo di Ex-Generale, unitamente a tutte quelle rispetuose convenienze, solite a ritenersi dagli altri Generali che cessano di ufficio, a norma degli altri Istituti Regolari.
- 2° - Di poter scegliere di sua residenza in tutta la Congregazione cisalpina e transalpina, ed anche in Roma, quella casa che tornerà più espediente per la sua pace e salute.
- 3° - Di ottenere da' rispettivi superiori locali della casa di sua residenza un fratello laico, affinché l'assisti ed accompagni, anche per decoro della carica esercitata.

Di tanto La supplica e spera ottenere a grazia. Quam Deus etc.

Rescriptum a tergo (p. 4):

Romae, die 28 Apr. 1854

Pro gratia
Pius PP. IX